



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XLIX. In qua de Sigillo Confessionis Sacram: à Confessario
servando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

QUÆSTIO XLIX.

In qua de Sigillo Confessionis Sacram: & Confessario servando.

Vicar. **V**olo ut describas Sigillum Confessionis, seu perpetuum de peccatis silentium, ad quod Confessarius est obligatus;

S. Ex terminis patet, hoc Sigillum esse directam Confessarij obligationem celandi Confessionem Sacramentale Pœnitentis.

V. Solumnè Confessarij?

S. Per se loquendo solus Confessari⁹ habet obligationem Secreti Confessionis, per accidens autem etiam Interpres, si fortè pœnitens aliquem ad explicanda peccata adhibuerit; denique omnes illi, qui quocunque modo licito, vel illicito, mediatè, vel immediatè, sive datâ operâ, sive casu fortuito peccata illa cognoverint, quæ per solam Confessionem Sacramentalem innotuerunt, pœnitenti obligatione Sigilli servandi tenentur, ut

ut bene observat ex *D. Thom: Palad: Sot: Med: Sylv: Navar: & alij Layman:* cuius ratio est, quia secundum regulam juris, res ad quemcumque perveniat, cum onere suo transit (ex c. *Pastoralis*) ac proinde ad quoscunque peccatorum alienorum notitia per Sacramentalem Confessionem pervenit, ad illos etiam servandi Sigilli eadem obligatio transit. vi: *Ludov: Abelly Par: 2. Tract: 1. cap: 5. V.* Dixisti esse obligationem directam, quid denotat ly *directam*?
 S. Hoc, quod hæc strictissima obligatio Sigilli servandi oriatur, *tum* ex jure naturali, quò tenemur sub secreto nobis commissa celare, *tum* ex virtute iustitiæ, quæ vetat proximi famam lædere, *tum* ex virtute Religionis, quæ reverentiam Sacramento Pœnitentiæ debitam servare jubet, *tum* ex jure positivo Ecclesiastico, quod gravissimas pœnas statuit pro violatoribus hujus secreti, nempe pœnam depositionis, & perpetuæ inclusionis in arcto Monasterio, aliasque ar-

arbitrio Judicis Ecclesiastici infligen-
das; vi: c. *Omnis utriusque sexus*, & c.
Sacerdos de Penit: Dist: 6. Tum denique
ex Jure positivo Divino, quia eo ipso,
quod Christus Pœnitentem obligave-
rit ad integram omnium peccatorum
suorum Confessionem Sacerdoti faci-
endam, censetur etiam ipsum Sacerdo-
tem obligasse ad Secretum inviolabili-
ter servandum, alioquin Confessio ma-
ximè odiosa fieret, nullaq; ex ea orire-
tur pax & Conscientiæ serenitas, sed
potius inquietudo mentis in ipso Pœni-
tente, ac timor continuus, nè Confes-
sarius ad declaranda peccata, quæ per
eius Confessionem novit, ratione ali-
quâ inducatur; *imò* si Confessarius lici-
tè posset peccata aliqua sibi confessa re-
velare, non teneretur Pœnitens ea ipsi
in Confessione declarare, cum ex insti-
tutione Christi nonnisi ad Confessionem
secretam obligetur, quæ tamen secreta
non foret, si Sacerdoti peccata per eam
cognita evulgare liceret, propterea su-
pra

pra posui *ly obligationem celandi*, id est tenendi Secretam Confessionem, sive accusationem peccatorum Pœnitentis ordinatam ad absolutionem Sacramentalem, etiamsi Pœnitens eam non reciperet, vel ob sui indispositionem, vel Confessarij inhabilitatem, vel ob aliam causam.

V. Ergo ad Sigillum Confessionis obligabitur etiam Confessarius fictus, sive ille, qui se finxit Sacerdotem.

S. Sic est; pariter ad Secretum servandum obligatur Prælatus & Superior, à quo petitur licentia pro reservatis; etiã ille, quem Confessarius consulit pro resolutione alicujus difficultatis ex Confessione ortæ; is quoque, cui Confessari⁹ malitiosè, vel incautè revelavit peccatum Pœnitentis; pariter ille, qui casu aut ex industria audivit aliquem narrãtem peccata suo Confessario.

V. Quæ est materia hujus Sigilli?

S. Sub Sigillum Confessionis directè cadunt omnia prorsus confitentis peccata,

ta, tum *mortalia*, tum *venialia*, illorum
circumstantia, *complicésq;* &c. indirectè
autem & reductivè cadunt ea, quæ ni-
hil quidem sunt horum, attamen illo-
rum occasione dicta sunt in Confessio-
ne, & quæ propalata cederent in Pœni-
tentis injuriam, seu redderent odiosam
Confessionem Sacramentalem.

V. Occasione dati responsi quæro, an
peccata mortalia non solùm in specie,
sed etiam in genere cadant sub sigillū?

S. Sic sentio; unde nec in genere licet
Confessario dicere, iste est mihi confes-
sus aliquod mortale; observo itaque
Confessarium non solùm cavere debe-
re ab expressa peccatorum in Confessi-
one auditorum manifestatione, verùm
etiam ab incauto modo loquendi, nun-
quam dicendo; hic v.g. confessus est
mihi sua peccata enormia, vel huic
gravem injunxi pœnitentiam, seu satisf-
factionem, aut in isto Monasterio hoc
anno toties absolvi à reservatis, aut non
absolvi hunc concubinariū, hanc me-
re

retricem, hunc publicum peccatorem
&c. Adverto item (*conform: ad alibi di-*
ctā) quod Confessarij valde cautè de-
beant petere facultatem absolvendi à
Superiore Pœnitentem, ut nullo modo
Superior veniat in notitiã personæ Pœ-
nitentis; item cavere debet Confessa-
rius, nè dum confitetur peccatum, aut
defectũ in auditione Confessionis com-
missum, detegat aliquid in Confessione
auditum.

V. Suppono Confessarium non violare
Sigillum, dicentem: iste est mihi con-
fessus aliquod veniale peccatum;

S. Non; quemadmodum non violat cla-
rã voce dicens: *Absolvo te à peccatis tuis.*

V. Si Confessarius aliquid in Confessio-
ne omisisset, quod Pœnitenti indicare
debit, v.g. restitutionem aliquã facien-
dam, nonnè id postea supplere debet?

S. Debet utiq;, sed non ex abrupto, ve-
rùm prudenter, ac privatim, petitiã pri-
us ab ipso Pœnitente veniã, pro quo vi-

Gamach; c. 12. de Pœnit.

V. Quæ-

¶ Quæro, an etiam Pœnitens ad Sigillum obligatur respectu eorū, quæ Confessarius in hujus Sacramenti administratione ipsi vel dixit, vel injunxit?

¶ S. Non obligatur: siquidem Canones Sigilli obligationem præcipientes, nullam Pœnitentis faciunt mentionem, quamvis autē Sigillo Sacramentali non obligetur, lege tamen naturali tenetur Secretum servare, quando ex illius revelatione aliquod damnum in ipsum Confessarium derivaretur, aut quamvis nullum inde ipsi immineret damnū, aliquid tamen contra ejus voluntatem in illius Secreti manifestatione, sinè ulla rationabili causa fieret.

¶ Dices utique, quòd si Confessio non fiat animo subjiciendi peccata clavibus Ecclesiæ, nulla sit futura obligatio Sigilli servandi?

¶ S. Dico, ità tamen, ut in eo casu Sacerdos non leviter & sinè gravi causa ea, quæ per ejusmodi Confessionem novit, declaret, nè inde scandalum oriatur, sed

sed id duntaxat prudenter faciat, quod magis expedire videbitur.

V. Dic mihi, an de licentiâ Pœnitentis Sacerdos Confessarius possit revelare, quæ in ejus Confessione audivit?

S. Multos Theologos reperio negantes, propterea quòd lex de Sigillo Confessionis inviolabiliter servando non sit inducta in favorem & gratiâ solius Pœnitentis, sed in favorem toti⁹ Ecclesie, ac communitatis, & ob reverentiâ hujus Sacramenti, adeoque Pœnitentem huic juri cedere non posse. Sequaces nihilominus *D. Angel:* docent de consensu Pœnitentis posse Confessarium ex aliqua rationabili causa, & propter ipsius Pœnitentis maximam utilitatem, peccatum illi⁹ in Confessione auditum alteri declarare, ità tamen ut consensus non sit à Pœnitente extortus, seu coactè datus, nec interpretativ⁹, aut virtualis, sed liberrimus, formalis & expressus.

V. Quæro an, & quomodo liceat ut subinde scientiâ Confessionis?

S. Le

S. Lego apud Theolog: duas in hac re observandas esse regulas generales: *pri-*ma est, quòd omnis usus notitiæ per Confessionem acceptæ conjunct^o cum morali periculo revelandi directè, vel indirectè peccatum Pœnitentis, aut Complicis sit illicitus & sacrilegus: *se-*cunda est, quòd omnis us^o ejusdem notitiæ, etiamsi non sit conjunctus cum morali periculo revelationis directè, vel indirectè, dummodo tamē redderet Confessionem odiosam, si à Pœnitentibus resciretur Confessarium uti scientiâ Confessionis, sit illicitus.

V. Quid ex his regulis deducis?

S. Deduco I. Non licere Confessario uti scientiâ Confessionis ad gubernationem externam, quod etiam expressè prohibuit *Clemens VIII.* per speciale Decret. Anno 1594. 26. Martij. Omnibus Superioribus Regular: adeòq; non licet ex hac scientia remove Pœnitentem ab officio, aut negare illi suffragium in aliqua electione. II. Non licere Confes-

sa.

fario etiam ad impediendam ruinam
 toti⁹ Ecclesiæ quidquam dicere, vel fa-
 cere, ex quo immineat morale pericu-
 lum manifestandi peccatum Pœnitentis.
 III. Neque licere Confessario hanc
 scientiã uti, etiam ad colloquendum
 cum ipso Pœnitente extra Confessionem,
 nisi Pœnitens det prius facultatem, quia
 per tale colloquium incuteretur rubor
 Pœnitenti, & redderetur Confessio odio-
 sa. IV. Non licere Confessario fugere,
 aut declinare insidias & mortem, quan-
 do ex sola Confessione rescit eam sibi
 parari, si ex tali fuga sequeretur reve-
 latio directa, vel indirecta Pœnitentis,
 aut Complicis (*nisi fortè Confessari⁹ ad-
 verteret Penitentem malitiosè & simulatè
 id confessum fuisse, nempe non animo fa-
 ciendi Sacramentalem Confessionem, sed
 precisè ideo, ut Confessarium ligaret illo
 Secreto, & magis praecluderet viam eva-
 dendi periculum*) V. Non licere Superi-
 ori occludere foramen, per quod ex so-
 la Confessione novit sibi subjectos no-
 ðe

de egredi extra Claustrum, similiter
non licere Parocho dimittere famulum
ex seruitio, quem ex Confessione sibi
facta didicit esse furem domesticum.
VI. Non licere fortiori examine urgere
sponsam, quæ negat fornicationem se
commisisse cum sponso, licet Confessa-
rius ex prævia Confessione sponsi certò
cognoverit illicitam sponsæ cum spon-
so copulam. VII. Non licere (confor-
miter ad alibi dic:) Confessario vitare
consortium illius, quem ex Confessio-
ne novit esse excommunicatū, nec de-
bere desinere Confessarium confiteri
illi, quem ex Confessione sibi facta no-
vit non esse Sacerdotem verum, si hæc
interruptio Confessionis cederet in da-
mnum & proditionem illius Confessa-
rij (monent tamen *Canonis*: in tali casu
prius Confessionem seriam faciendam
esse Sacerdoti vero, & postmodum fi-
ctam, ficto) VIII. Non licere uni Con-
fess: cum altero Conf: colloqui de pec-
catis, quæ unus idemque Pœnitens u-
tri-

trique est confessus. IX. Neque licere
revelare peccata defuncti, etiam ad e-
vitandum grave damnum communita-
tis. Denique nec licere Concionatori
uti notitiâ Confessionis ad parâdas ve-
hementiores Conciones contra aliquod
vitium, si id cedat in damnum aliquod
Pœnitentis, vel Complicis, reddatque
Confessionem odiosam.

V. Ergo nunquâ Confessarius obligatur
ad usum scientiæ, quam ex prioribus
Confessionibus accepit.

S. Nunquam: ac proinde potest ita se
gerere, ac si totâ vitâ nullam Confessio-
nem audivisset, vi: *Sanchez* lib: 3. de
Matrim: dis: 26. Hic tamen observo,
quod liceat Confessario uti notitiâ Cō-
fessionis ad illas actiones, quæ nullum
prorsûs incommodum Pœnitenti, vel
Complici adferunt, imò sunt purè pro-
pter bonum spirituale, vel etiam tem-
porale Pœnitentis, absque violatione
Sigilli Confess: directè, vel indirectè:
sic licet Confessario uti tali scientiâ ad
hoc,

hoc, ut
rationi
à Deo
V. Cū
quo pu
verit?
sponde
lenam
gatus
S. Dic
quod
fessari
at: se
telligi
V. Ad
possi
riæ, q
mittit
aut T
rum t
vere,
S. Po
speci
partic

hoc, ut Pœnitenti, vel Complici suis orationibus & motificationib⁹. impetret à Deo auxilia gratiæ efficacis &c.

V. Cùm Confessario interrogato de aliquo publico peccatore, an ipsum absoluerit? juxta suprâ dicta non liceat respondere per ly *non absolvi*: quæro, qualem congruum poterit dare interrogatus responsum?

S. Dicat v. g. *ego sum functus meo officio*, quòd si interrogans instet dicendo *Confessarium* uti æquivocatione, respondeat: se nullâ æquivocatione uti (subintelligendo *illicitâ*.)

V. Adhuc peto: an Confessarij Regule possint aperire litteras S. Pœnitentiariæ, quarum aperitio & executio committitur Doctorib⁹ in Jure Canonico, aut Theol: Magistris, ut secundùm earum tenorem possint Pœnitentes absolvere, vel dispensare &c.

S. Possunt juxta Privileg: *Gregorij XIII.* specialiter *Sac: Societ:* concessum, & per participat: ad alias Religiones exten-

M m sum,

sum, pro quo vi: *Rodriq; in Compend;*
ver: Confessio & alios Canonis:

QUÆSTIO L.

De Satisfactione Sacramentali.

Vicar. **L** Egiltinè in *Sac: Concil: Trid:*
Sess: 14. Can: duodecimum?

*S. Legi & est iste: Si quis dixerit totam
 penam simul cum culpa remitti semper à
 DEO, satisfactionemq; Pœnitentium non
 esse aliam, quàm fidem, quâ apprehendunt
 Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.*
V. Ergo per absolutionem Sacramenta-
lem non semper remittitur tota pœna
temporalis?

S. Non: hinc idem Sac: Conc: Sess: 6. c.
14. dicit satisfactionē, quæ est pars Pœ-
nitentiæ, esse pro pœna temporali, quæ
(ût Sacræ Scripturæ docent) non sem-
per tota dimittitur.

V. Declara, quid sit satisfactio, quæ est
Sacramenti Pœnitentiæ materialis pars
tertia?

S. Est. voluntaria pœna à Confessario in-
ijmo